

tiam sibi conciliantia, nobilissimo se dedant officio tum promissis sinceram fidem praestandi, tum emendationes retractationesque opportunas promovendi, iuxta iuris et aequi principia. Haud quidem Nos fugit — prosequitur Pater amantissimus — superandarum difficultatum cumulus, bonaeque voluntatis vires pene humanis maiores ab omnibus partibus requisitas, ut ad duplex opus hic adumbratum feliciter perficiendum simul conveniant. Labor vero hic communis tam est cum rei natura, diuturnae nempe pacis, coniunctus, ut nihil populorum duces detinere debeat, quominus eum sibi suscipiant atque ex sua cuiusque parte bonae voluntatis conatibus efficiant, ut futura bona prospicientes, acerbam recordationem rerum adhuc infeliciter tentatarum devincant, neve mole maximarum virium, quae ad rem requiruntur, terreri patiantur.

V. - In novo rerum ordine, cuius praecepta de moribus caput constituent, locus non est religionis et Ecclesiae insectationi. Ex fide summa in Deo personali transcendentem pura atque firma morum vis manat, vitae cursum integrum informans; quandoquidem fides non solum virtus est, sed ianua divina, per quam templum animae omnes virtutes ineunt, atque hominis natura valida, tenax, in alea rationis et iustitiae constituitur. Id semper valet, at eo magis splendere debet, quum a rerum publicarum principibus ad civium infimum animi fortitudo maxima maximaque officiorum virtus requiratur ad novam Europam novamque rerum universitatem super ruinis excitandam, quas omnium gentium contentio per vim suam, per animorum odium discordiamque coacervavit. Quod autem peculiariter ad socialem quaestionem attinet, quae transacto bello acrior obiicietur, Decessores Nostri ipsique Nos solutionis normas constituimus; quas tamen considerandum est integras tantum adhiberi posse, omnemque frugem laturas si rerum publicarum re-

tores et populos, operarum conductores et opifices erigat fides in Deo personali, legislatore ac vindice, cui actionum suarum rationem reddere quisque debet. Dum enim impietas in Deum, universorum instructorem, infestissima hostis est novi ordinis in iustitia positi, quisque ex adverso homo Deo subnixus et fidens potens ipsius est auctor et propugnator. Qui Christo fedit, eius divinitati, eius legi, eius operae charitatis fraternaeque inter homines necessitudinis, is elementa pretiosa potissimum ad socialem restitutionem afferet; tanto magis afferent civitatum rectores, si se promptos paratosque exhibituri sint ad ianuas late aperiendas viamque Christi Ecclesiae expediendam, ut libera absque impedimentis, vires praeter naturam suas praestans populorum concordiae atque paci, flagranti studio et charitate sua immani sanandarum belli vulnerum labori operam conferre possit.

POPPLICOLA.

### LIBRI DONO ACCEPTI

FERDINANDUS DE PAOLA, *Philosophia tarsensis in Senecae scriptis* (Florentiae, Leone S. Olshki editore, ven. lib. 10).

I. B. BELLISSIMA, *Vita Napoleonis Rutiliani Barnabitaë* (Exc. ex ephemeride, cui «Eco dei Barnabiti» inscripto).

IOSEPHI FAVARO, *Carmina in Leonardum Vincium* (Mutini apud auctorem).

VITO COSTA, *Il congiuntivo greco particolarmente in Omero* (Edit. typ. Sandron. Panormi, Mediolani; ven. lib. 8).

IOSEPHUS WAGNER, *Commentarii de 25 annis Iuventutis et de neo latino qui dicitur motu* (Edit. Stephaneum, Budapestini).

IMPRIMATUR:

† Fr. A. C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonensis,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



## VARIA

### Peritiam rei militaris nonnisi ex bona disciplina oriri.<sup>1</sup>

Ego equidem negare non ausim, quin populi Romani fortunae prosperitas, rei militaris virtus imperium pepererint; sed id rursus contendo, peritiam rei militaris nonnisi ex bona disciplina oriri; et ubi haec duo iam sint, vix fieri posse, ut ea non etiam sequatur fortunae prosperitas. Quod autem tumultus illos, qui inter plebem et senatum exstiterent, attinet, eos qui accusant, id mihi videntur damnare et vituperare, ex quo prima occasio et ratio conservandae populo Romano libertatis emersit; magisque insolentes turbas illas spectare, quam effectus illarum salutes intueri. In omni Republica diversum semper est plebis et optimatum ingenium, diversaque studia; et quae leges ad conservandam libertatem conduntur, eae originem habent ex eorum discordia, sicuti monstrant exempla Romanorum. Sed neque post Tarquiniorum interitum ad tempora usque Gracchorum, annis plusquam trecentis, tanti fuerunt motus illi Romae, ut saepe vel exsilia vel caedes pepererint. Quoniam toto illo temporis spatio vix octo aut decem cives in exsilium missi fuerunt, caesi paucissimi, et pauciores pecunia mulctati. Non debemus autem aestimare, eam Rempublicam male institutam fuisse, ex qua tot praeclara virtutum specimina edebantur; quia haec non nisi ex bona disciplina originem possunt habere; disciplina bonis legibus nititur; atque hae denique, ex iis motibus semper ortae sunt, quos a multis inepte vituperari docuimus; siquidem nec caedes, nec exsilia nec ullum Reipublicae detrimentum pariebant, sed leges et statuta conservandae publicae libertati salutaria.

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii* latine vertit E. BINDI.

### Paroemiae sive adagia

#### RANAE AQUAM MINISTRARE

Ubi quod exhibetur, quo vel praecipue gaudet is qui accipit. Exempli gratia si homini loquaculo narrandi materiam et occasionem subministres.

#### OLEUM EMERE ET SALEM

Significat opus esse nonnunquam remediis contrariis, nunc acrimonia, nunc lenitudine; sal enim mordet et siccatur, oleum lenit atque humectat.

#### locosa

Tuccius et amicus quidam disputantes, praeter modum res suas extollunt. Ait amicus:

— In horto meo vox emissa centies repercutitur.

TUCCIUS: — Fi! In meo ea est echo, ut, si quis sternutamentum edat, respondeat: Bene tibi!

#### TUCCIUS ad Pharmacopolam:

— Praesta mihi semis libellam olei ex ricino, sed etiam atque etiam te rogo, ut quantitas ad minimum sit.

— Ecquid?

— Quia exsorbendum est mihi!

#### Aenigmata

##### I

Femina sum? Divis pietate probata placebam:  
hinc me servarunt tempore diluvii.  
Sum vir ego? Visi rex Epiroticus oras  
Italiae, Romae tela inimica ferens.

##### II

Parva quidem, sed bella domus sita sum pro-  
[cul urbe;  
si mihi praeficitur syllaba, fio cinis.

FR. PALATA.

Aenigmata in fasciculo mensis Decembris MCMXLI proposita his respondent:

1) *Sagum-Saga*; 2) *Mina-Minae*.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXLII est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARIUM doct. Bonam Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographium Polyglottam Vaticanam, Citt.

## “ALMA ROMA” IN ANNUM MCMXLII

Si tristibus auspiciis annus MCMXLI nobis obiicebatur, qui sequitur hic diras omnino obnuntiat. Bello enim tam longe lateque quum fluxerit, ut universum prope orbem nunc occupet, Romae haec latina vox, commercii cursibusque publicis interruptis, impeditis, everisis, non iam ad ultimas terras pervenire potest ad omnium gentium animos per unum Almae Matris sermonem inter se fraterne humaniter vincendos, sed inter patrios Italiae fines propemodum contineri cogitur, eaque paginarum terminis magis atque magis angustis circumscripta, atque gravioribus in dies sumptibus onerata. Non itaque mirum si quum inde propositum praecipuum deficere nobis videretur, de opere nostro intermittendo semel dubitavimus, meliora dum ventura essent tempora ad resumendum expectantes. Opportune vero memoriae succurrit, altius munus nostrae fidei fuisse commissum, et ab ipso Summo Pontifice Pio PP. XII recens, ut suo tempore diximus, confirmatum: curare nempe omnino non solum ne latinitatis ignis extingueretur, sed ut eius flamma quovis modo ac ratione aleretur; debere igitur nos excubantes ac vigilantes in statione nostra pro viribus permanere, eamque impavide defendere. Huic mandato veluti iusso oboedientes, in incoeptis persistere adhuc et a via non recedere constituimus.

Quomodo vero ceteras difficultates, praesertim tam auctarum et argentium expensarum superaremus? Aberat cogitatio subnotationis pretium aequabiliter augendi, ne nummaria tributa sociis graviora impo-

PER  
A  
35

\*BE000082107\*  
BIBLIOTECA CIVICA  
BERTOLIANA - VICENZA

BIBLIOTECA CIVICA  
BERTOLIANA - VICENZA

\*BE000082107\*



PER.A.35

neremus, et spes esset, ex parva quoque subnotationis summa allectos, novos, ubi potestas fieret, accessuros, qui manipulum nostrum firmarent. Proinde ad quaestionem solvendam huiusmodi ratio optima nobis visa est quae omnia aliquo modo conciliaret: fasciculos nempe, ut quondam, viginti paginis constantes edere, qui duplum tempus, idest bimestre, valerent. Sic eadem fere ac superioris anni commentarii materies manebit ac typorum et missionis impendia aliquantulum nobis imminuentur.

Aliquantulum, inquam; ne enim quis credat accepta expensas aequatura; itaque eo magis necesse est ut singuli socii subnotationis pretium solvant, ac pro tempore solvant, ii praesertim qui — piget quidem repetere! — nimis lentum nomen sibi apud nos conciverunt. Neque minus singulos socios efflagitamus ut novos adducant: erit autem cuique tam difficile ut unum saltem comparent? In tenui labor, at tenuis non fructus.

In memoriam autem erga nos studiosorum revocamus communi subnotationi — quae est in Italia libellarum 15; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae italicas libell 30 exaequet — alteram exstare, quam *adiutricem* appellare consuevimus, duplicato consociationis pretio; et inter *Patronos* commentarii eos adscribi, qui summam italicas lib. 200 exaequantem miserint, vel socios novos quinque inscripserint.

Memoramus quoque pecuniam omnem solvendam esse sive directe apud doctorem IOSEPHUM FORNARI, "ALMAE ROMAE" Moderatorem, Romae, *Via di S. Maria dell'Anima, 39*, sive — idque fortasse exteris incolis expeditius hodie fiet — indirecte per TYPOGRAPHIAM POLYGLOTTAM VATICANAM, *Città del Vaticano*, seu per bibliopolam aliquem, aut aliquod suae civitatis Romanum Collegium, vel per Nummariam Mensam exterarum civitatum in Urbe procurationem habentem.

Denique has de subnotatione leges quae sequuntur quisque firmas retineat:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit — (quod nullo impendio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituntur) — tamquam socius valide reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.*

ALMA ROMA

## DE MULIERUM ERUDITIONE APUD ROMANOS

Optime facturus ille putandus est, credo, qui occasione arrepta, debitum veritati reddat locum, atque in honorem revocet pristinum solio suo deiectam. Cui quidem sententiae gerens morem, hic ego scripsi adversus eos, qui romanas matronas, immo et adolescentulas, turpis ignorantiae nota inurunt, easque rudes omnino et humanioris cultus prorsus exspertes dicitant, haud aliter ac si de pecudum vilissimarum specie ageretur, quasi non eadem, qua aequales nobis mulieres, indole, tunc et ingenio uterentur.

Et primum dico, quod commune omnibus haberi potest, scilicet ab effectibus virtutem probari causarum, nam

Fortes creantur fortibus, et bonis  
Est in iuvenis, est in equis patrum  
Virtus, nec imbellem feroces  
Progenerant aquilae columbam.

Quae itaque ab ortu matres educabant ad annum fere decimum liberos, excolebant moribus, augebant rerum cognitione multiplici, prout aetas et conditio ferebant, quantae dicendae sunt si Brutus, si Meneios, si Horatii, victoris Curiatorum, patrem optime pro filio dicentem genuerunt, si tot dedere duces quot filios reipublicae, tot consules, dictatores, tribunos mirabiliter sedantes alloquio multitudinem populi concitatam, mirabiliter incendentes verbo et cientes in pugnam et victoriam exercitus, mirabiliter iura constituentes eximia, et summa iurisprudencia Romanum imperium administrantes! Cultus ergo in his erat, quo dignae haberentur consortio et domo clarissimorum virorum, quibuscum iungendae erant coniugio, quibusque ex his nulla displicuit; nam ad VI usque saeculum sine ullo divortio Romana res crevit.

Atqui virtutes inter ceteras, quae pulchra

laudatur, illa est qua romanae matres latini sermonis integritatem et gratiam servarent una cum romana illa maiestate coniunctam, qua et recte facere a maiorum exemplis, quae narrabat mater, ediscerent liberi coram imaginibus avorum, quae servabantur in atrio, et patriae ritum sermocinationis acciperent, ne ad honores semel evecti, alloquuturi cives suos, hisce non Romani sed exteri viderentur.

Prima igitur eruditio ac disciplina Romanae adolescentulae illa erat, quae latinam linguam spectabat, nec modo linguam, idest voces et vocabula, sed etiam pronuntiandi modum. Qua in re Cicero<sup>1</sup> ubi dixit: « Ut latine loquamur non solum videndum est ut verba efferamus ea, quae nemo iure reprehendat, et ea sic et casibus, et temporibus, et genere, et numero conservemus, ut nequid perturbatum, ac discrepans, aut praeposterum sit, sed etiam lingua, et spiritus, et vocis sonus sit ipse moderandus », addit: « Tuus me sonus et suavitas ista delectat... hanc dico suavitatem, quae exit ex ore; quae quidem, ut apud Graecos, Atticorum, sic in latino sermone, huius est Urbis maxime propria... Equidem (prosequitur Crassus) quum audio socrum meam Laeliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem<sup>2</sup> conservant, quod multorum sermonum exspertes ea tenent semper, quae prima didicerunt), sed eam sic audio ut Plautum mihi, aut Naevium videam audire. Sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis, aut imitationis afferre videatur; ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores; non aspere, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et aequabiliter, et leniter ».

Habemus hic igitur aliquid, quo, utriusque Scipionis tempore, — ea enim vixit Laelius aetate, — Romanae adolescentulae imbuebantur; domi quidem, accitis doctri-

<sup>1</sup> De oratore, lib. III, § 14 et 15.

<sup>2</sup> Alibi: "latinitatem".

cibus; matribus, amitis aviisque exercentibus praecepto, provocantibus exemplo. Sed nunc ex egregio pariter auctore audiamus quibus disciplinis insuper augerentur: «Erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit. Litteris graecis et latinis edocta, psallere, saltare elegantius, quam necesse est probae». <sup>3</sup> Nota hic lector necessarium esse probis puellis feminisque optimo genere natis latinis graecisque callere litteras, psallere, saltare, Sequitur idem scriptor: «Ingenium eius haud absurdum; posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci; prorsus multae facetiae, multusque lepos inerat».

Nihil ergo deerat iis, quod nostras ornat mulieres; nam addere quae propria mulieribus sunt, scilicet «colo, calathisque Minervae femineas ex unguiculis assuevisse manus» credo supervacaneum et ferme inutile. Haec autem Sempronia Ciceronis ipsius occupabat aetatem.

Aetatem vero summi viri sequuta est Hortensia, Hortensii oratoris filia, quam non modo iis excultam, quae necessaria ad romanae puellae eruditionem ducebantur, iuxta Sallustium, sed etiam iura et oratoris propria callentem tradit Valerius Maximus in suis moralium exemplorum libris: <sup>4</sup> «Quae, quum ordo matronarum gravi tributo a triumviris esset oneratus, nec quisquam virorum patrocinium eis accommodare auderet, causam feminarum apud triumviros et constanter et feliciter egit; repraesentata nam patris facundia impetravit, ut maior pars imperatae pecuniae his remitteretur. Revixit cum muliebri stirpe Quintus Hortensius, verbisque filiae adspiravit, cuius si virilis sexus posteriori sequi voluissent, Hortensianae eloquentiae tanta haereditas unius feminae

<sup>3</sup> SALLUSTIUS, *De coniuratione Catilinae*.

<sup>4</sup> Lib. VIII, cap. III.

actione abscissa non esset». Haec ad verbum placuit referre, ut Hortensio Ciceronis aemulo glorioso esset honor. De reliquis apud Romanos iurisprudencia insignibus mulieribus satis esto nomina innuere, quae Valerius idem eodem capite notat, nempe Amesiam et Afraniam. Quid vero de Laetronia apud Iuvenalem dicente de se et romanis matribus:

Numquid non agimus causas? Civilia iura  
Novimus, et multo strepitu fora nostra <sup>5</sup> movemus?

Audiemusne Plinium Corelliae Hispullae suae scribentem familiari epistola laudes? Et quidem hasce scribit Hispulae soceri sui sorori, quae Corelliam educaverat: «Non dubito maximo tibi gaudio fore quum cognoveris dignam patre, dignam te, dignam avo (Corelliam) evadere. Summum est acumen, summa frugalitas; amat me, quod castitatis indicium est. Accedit his studium litterarum, quod ex mei caritate concepit. Meos libellos habet, lectitat, ediscit etiam. Qua illa sollicitudine quum videor acturus; quanto, quum egi, gaudio afficitur!... Eadem, si quando recito, discreta velo, sedet, laudesque nostras avidissimis auribus excipit. Versus quidem meos cantat, formatque cithara, non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus». <sup>6</sup> — Audiemus Sidonium Apollinarem de Lucano poeta referentem, Polliam eius uxorem certatim cum ipso septem primos *Pharsaliae* libros composuisse, carmina sibi usurpante meliora Lucano? — Anne Falloniam Anciam Probam poetriam praetermitteremus, quae ita singulas Vergilii voces mente possidebat, ut, si loqueretur, si scriberet, semper Vergilianis hemistychiis uteretur, quod perspicuum est in illo poemate, quod de Christo composuit, musivis veluti lapidulis, Vergilianis versibus, modo dimidiatis, modo integris, mirabiliter texellatum?

<sup>5</sup> libi: "rostra".

<sup>6</sup> C. PLIN. CAECIL. SECUNDI, *Epist.*, lib. IV, 19.

— Et quanta Veturiae eloquentia erat, quae filium Coriolanum ab incepto diruendae Urbis una dimovere potuit brevi usa colloquio?... Semper credidi sententias matronae huius restitisse aeternas in traditione populi, in privatis archiviis, in annalibus sacerdotum; impositas hasce Livio credidi recordatione communi, non imposuisse eas Veturiae Titi Livii artem.

Quanti denique vel antiquitus Romana mulier haberetur, inde patet quod vel rege Romulo leges latae sint ad honorandas romanas mulieres, eoque processum sit, ut cives romani omnes, senatoribus non exceptis, dexteram obvianti Romanae cedentes, viam dare deberent; insuper ut fas non esset satelliti capere hominem romanum eadem rheda cum uxore vectum. Plura huiusmodi omitto, quae in vita Romuli refert Plutarchus. Atqui ubi honor, et causa honoris aut habenda, aut suspicanda est? Num turpes honorantur asellae? Credamus igitur Tullio scribenti: «Romuli aetatem venisse scimus inveteratis iam in Italia litteris et disciplinis», et rideamus de iis, qui Romanos, Romanasque illas priscas, rudes rerum, ignaras, barbaras sibi fingunt, aliisque suadere conantur, credo ut suis maioribus blandiantur.

Anacephaleosin, Iuvenale praeunte, conficiam, qua veluti summam habemus institutionum aliarum, quibus Romanae adolescentulae exercebantur. Poeta hic enim consilium iuveni praebens, qui de uxore eligenda et ducenda cogitabat, haec monet:

Non habeat mulier, tecum quae iuncta recumbet,  
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato  
Torqueat entymema, nec historias sciat omnes.

Hinc ergo probatur quibus erudirentur passim disciplinis Romanae; scilicet dicendi genere, id est arte oratoria; dialecticae praeceptis, id est philosophiae doctrinis; historia denique omni, scilicet tum romani populi, tum gentium exterarum. Adde his

quae recensuimus, nempe poeticae, iurisprudentiam, musicam; adde et his medicinam, adde patriae linguae disciplinam, et graecae, et utriusque gentis litteras adde. Nonne satis habebis de Romanarum eruditione feminarum?

G. P.

## DE FARFENSI IMPERIALI COENOBIO<sup>1</sup>

### SARACENORUM EVERGIO

Farfense coenobium iis temporibus a Principibus large ditatum, possessionibus multis iisque ditissimis apud Longobardos et apud Samnites maxime florebat, quum pestis illa Saracenorum tam opimis spoliis allecta, Farfensem agrum invasit ipsumque coenobium obsidione cinxit.

Anno octingentesimo septimo et vigesimo Saraceni quum in Siciliam classem appulissent, subsequentibus annis totam pene Italiam invaserunt, Urbem ipsam infensis armis petiverunt, Montem Casinum everterunt, denique per Reatinam vallem in Sabinos profecti, Sancti Salvatoris Maioris coenobium incenderunt, Spoletum deinde atque Camerinum populati sunt.

Petrus Abbas eo tempore farfense coenobium moderabatur, qui quum sensisset tantam cladem appropinquantem, non existimans se posse suis viribus eam repellere, Monachorum familiam tripartito divisit eorumque partem Romam, secundam Reate, opulentum ac viribus pollens misit, tertiam Firmum, ineunte anno octingentesimo octavo et nonagesimo, ipse duxit. Unicuique parti thesaurum dedit, quem secum ferret, ne omnia prorsus perirent; ea vero quae exportari non poterant, defosso monte, firmis lapidibus clausit. Ex commentario, cui nomen inditum est: «Chronaca farfen-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Decembr. MCMXLI.

sis» locus ipse huius montis reperire non est, nec in posterum inventus fuit.

Saraceni ovantes relictum coenobium ingressi, omnia praedae dederunt, sed ad destructionem usque progressi non sunt. Anno nongentesimo quinto decimo ad Lyrim pugna flagravat, qua Pontifex Ioannes X cum copiis Byzantinis, Capuanis, Caietanis, Salernitanis, Neapolitanisque, post menses tres arctae obsidionis, Saracenas vires fregit totamque Italiam ab illa peste liberavit. Tunc Petrus Abbas cum suis ad Farfense coenobium reversus est illudque restituit. Interea Petrus quum aliud coenobium in pago *Montenano* apud Marchiam Anconitanam fundasset, ibi anno nongentesimo decimo nono e vivis ablatu est. In farfensi coenobio Almon Abbas eum excepit, Hugonis italicorum regis adfinis.

#### DE HUGONE ANTISTITE

Per totam Italiam lucta Imperium intra et Ecclesiam exarsit, neque id Monachorum disciplinam iuivit; passim enim Monachi vagabantur non quae Iesu Christi, sed sua quaeritantes. Hugo, vir ardens, tenax propositi, anno nongentesimo septimo et nonagesimo Antistes renunciatus est, regimenque coenobii ad annum millesimum octavum et trigesimum fortiter administravit. Quintum et vigesimum annum attingebat, quum Antistitis honore ornatus est, statimque existimavit monasticam disciplinam esse instaurandam. Ad haec usque tempora, Monachorum regula quae invaluerat orientalium regula illa fuerat, quae Beatum Basilium patrem legiferum veneratur; regula ipsa a Beato Laurentio Syro in Italiam invecta, ad haec usque tempora floruit. Sed apud nos occidentales Benedictina regula in Monte Casino, in Cluniacensi coenobio florebat, cuius praeceptis brevi omnes monasticae societates se aptaverunt. Anno nongentesimo nono et nonagesimo, Sylvester secundus Summus Pontifex cum Impe-

ratore Othone III farfense coenobium visit, ab antistite Hugone liberaliter excepti. Otho imperator amplissimo diplomate coenobium multis ac magnis praediis ditavit, benedictinam regulam statuit atque antistitem, secluso quovis externo contagio, iuxta Sancti Benedicti regulam deinceps esse eligendum.

Eodem anno in farfensi coenobio Odilo cluniacensis et Guillelmus S. Benigni in Divionum agro antistites, morabantur; eis Hugo angustias quibusangebatur narravit ab eisque libenter consilium accepit benedictinam regulam invehendi, ad cuius normam totum coenobium redigere necesse erat. Hugo mandata excepit eaque firmiter perfici iussit.

Henricus secundus, quum in inferiorem Italiam, conferta acie, descenderet, per Farfense coenobium iter fecit et ab Hugone milites quosdam accepit, quorum opera Byzantinos e Bruttis et ex Daunis eiecit, Germanici imperatores ad iura bonaque coenobii, quod a Sancta Maria nomen habuit, imperialia diplomata concesserunt, nec non eorum patrocinium unde coenobium nomen imperiale deduxit.

In pervigilio Nativitatis, anno millesimo octavo et trigesimo, Hugo Abbas aetate non proventus, — sexaginta quinque enim annis natus erat, — post vitam in terris inter labores deductam, ad beatae vitae limina pervenerat. Quum vires deficientes sentiret, magnus ille Abbas in Sacellum Beatae M. Virginis transferri voluit, ubi cinere conspersus, cilicio indutus, extrema sacramenta excepit. Monachi nonnulli fletus et dolentes circumstabant preces alternantes; reliqui in Sanctuarium descendebant, ut natalicia mysteria explerent. Quibus confectis, quum in sacellum rediissent, pium Abbatem vita functum invenerunt. Eundem sacro scapulari indutum, magna pompa ducta, ad sepulcrum comitati sunt.

Haec sunt primordia Farfensis coenobii,

quae commemoravimus; in posterum ut res humanae sinunt saepe gloria effulsit, saepius in humilitate et paupertate conticuit. Nostra aetate opera et expensis magni illius Benedicti filii, qui Mediolanensem Ecclesiam regit, caput erexit, sed sicut temporibus iam peractis principes et reges huic coenobio largiter prospexerunt, nostra aetate ipsi reges et principes data bona abstulerunt, ita ut de tam divite coenobio media tantum pars aedificii cum Sanctuario Beatae Mariae Virginis, praediis omnibus creptis, tandem relicta sit.

(Ad proximum numerum).

ALEXANDER AURELI.

### DE M. TULLIO CICERONE ORATORUM ROMANORUM PRINCIPE

Haud scio an oculi etiam vestri, lectores, in haec verba fasciculi mens. Octobris *Almae Romae* inciderint: « Quid nobis Avenarius agit? Ex quo in Urbe est, longe magis abesse videtur quam quum in Germania moraretur ». Quid diu infitiar eum, cuius intersit meum aliquid in commentariis Latinis conspici, iure sic mirari: sed tamen et tempus excusare potui et valetudinem. Nunc autem ad scribendum rediens cogitabam, quid potissimum ex tanta rerum copia mihi tractandum sumerem, et statui pauca de Cicerone scribere, non nimium veritus, ne mihi dicatur: « aquam in mare » ergo?

Ut intelligas cur in id argumenti sim delatus, primum mihi adhuc calet animus eo sermone, quem menses quatuordecim in hac *Alma Roma* (1940, p. 115) contorsi contra errorem eorum — et mehercule non paucorum — qui censeant eum feliciorum esse Tulli Ciceronis imitorem, qui tortiores verborum circuitiones ore et manu fundat, neque aptum esse illud linguae ge-

nus solutioribus huic temporis loquendi formis.

Deinde alte mihi defixum est in memoria, et diu fixum erit, quod quidam philologus meis intulit auriculis non ita multo ante quam Romam transmigravi: De persona virtuteque Ciceronis actum esse. — Ohe, inquam, unde tam gravia mihi verba? — « Eius ad uxorem et filios epistolae ex quo detectae sunt, abiecti, fracti, mollis animi testes, admiratio constantiae et opinio virilis fortitudinis eius est extincta in perpetuum ». Neque erat tum quidem opportunum plura de tanto iudicio facere verba, sed tamen aliquando ex eo die cupiebam nancisci, ubi, quid ipse sentirem, proferre possem.

Tum et bis ipse pedem posui in ea destructae urbis Tusculi parte, ubi Ciceronis villam stetisse dicunt, et saepissime hoc triennio transiens meis oculis conspicio in foro locum, ubi pro rostris agebat cum populo Romano princeps Romanorum orator.

Venit etiam mihi in manum quatuordecim tomorum editio operum Ciceronis anno 1787 impressorum in usum serenissimi Delphini ex castigatione Iosephi Oliveti. Eius igitur editionis tomus quintus decimus inscribitur: « M. Tullii Ciceronis historia ». Hoc libro ex fidissimis scriptorum fontibus, et multum ex Plutarcho, colliguntur, quae singulis annis in ipsius Ciceronis vita, et quae iisdem annis in republica universa acciderint.

Ex eo ergo libro censebam lectoribus *Almae Romae* promenda esse, quae ad pueritiam et adolescentiam Tulli pertinent, et quae illic de caede hominis tam clari accurate traduntur. Postea dicam de persona Tulli sententiam.

\* \* \*

Cicerones nomen habent a « cicere », et dicunt eum, cui primum hoc cognomen inditum est, propter formam nasi Cicero-

nem vocitatum esse. Sed rectius Plinius tradere videtur Fabios et Lentulos et Cicerones primos haec nomina sortitos esse ex praestantia fructuum, quos in suis agris eduxissent.

Orator noster Romanorum more nominandus est « M. Tullius M. F. M. N. Corn. Cicero ». « M. » est Marcus praenomen, quod a patre solebat accipere maximus natu filius. Tulliorum gens fuit antiquissima, quam quidam repetunt a regia Volscorum stirpe. Marcus autem Tullius, oratoris pater, quum infirma esset valetudine in Arpinati villa fere aetatem egit. Mortuus est anno filii 43, quo is consulatum petiit. Q. Calenus in maledica oratione dicit eum fulloniam fecisse et vites semper oleasque coluisse.

« M. N. » Marci nepos; nam etiam avus oratoris hoc erat nomine, et erat adhuc inter vivos, quum noster est natus. « Cornelia » hoc est — ut reliqui Arpinates — in tribu Cornelia censebatur; nam erat necesse unam ex triginta quinque tribubus cives Romanos obtinere.

Constat Ciceronem Arpinatem fuisse. Arpinum (patria etiam Marii) non longe distat ab Aquino, quod S. Thomam protulit. Abest ab urbe Roma 108, a Neapoli 104 *chilometris*. Condita urbs dicitur a Pelasgis et communita est muris, qui partim exstant et Cyclopii vocantur. Inter amoenissimos colles sita habet acropolim sexcentis viginti septem metris aequore maris altiore. Quae diximus moenia ex quadris sine arenato structa sunt antiquissimis temporibus, renovata a Volscis et a Samnitibus et medio aevo. Urbs in dicionem Romanorum venit anno a. C. n. 305, municipii iura accepit anno 188. Medio aevo eam diripuerunt Longobardi et Saraceni et Hungari. Quum anno 1215 adiuncta esset Statui Ecclesiastico ita munita est, ut propugnaculum esset contra hostiles ex meridianis partibus incursus. Tum etiam complures exstructae sunt ecclesiae et coe-

nobia; in multis urbis etiam hodie domibus cernas nomen clarissimi civis « M. T. C. » et exstat Tullianum gymnasium vel academia, quam velim sedem esse perennem optimae Latinitatis et scholam oratorum. Numerus incolarum non multum superat decem millia, qui victum quaerunt, sicut iam antiquis temporibus, fabricatione pannorum et membranarum, vini et olei, et cultu pomorum. Effodiuntur illic etiam pulcherrima marmora.

Est inter illos colles rivus, cui Aufideno nomen, qui non longe ex eo loco ubi in Lirim influit, in duo dispertitus brachia triangularem efficit insulam. Ibi aedificatum est coenobium, et dicunt aedificatum esse super rudera illius domus, in qua lucem huius mundi aspexit Cicero noster tertio Nonas Ianuarias, anno a. u. c. 647, a. Ch. n. 103, Q. Servilio Caepione C. Attilio Serrano coss.

(Ad proximum numerum).

ANDREAS HABERL  
(Avenarius).

## LATINAE ADNOTATIUNCULAE

### « Nomina »

« Nomina » aliquando pro debitoribus, aliquando etiam pro ipso debito et syngraphis debitarum pecuniarum ponuntur; unde « facere nomina » id esse quod debitores comparare certum est. Quod ipsum pluribus modis apud antiquos fiebat, ut pactis usuris, promissis menstruis, aut annuis fructibus. Etenim pecunia aut numerata servabatur in arca, aut emptis agris vel mercibus in nominibus collocabatur, ut subiecta exempla probabunt. Sed prius locos aliquot Ciceronis adducamus, in quibus « nomina » capita rationum sunt, vel brevii, id est rationis argentariae. Ea vulgo et « articuli » vocata sunt. Praeterea nomina apud Ciceronem saepe pro causis et

negotiis et personis ponuntur, quibus in conficiendis rationibus expensae pecuniae feruntur:

« Nomina » pro capitibus rationum:

Cicero (in *Verrem*): Homo amentissime, tabulas quum conficeres satis te elapsurum omni suspitione arbitrabare, si quibus pecuniam credebas, iis expensum non ferres? neque in tuas tabulas ullum nomen referres?

Idem: Quum tot tibi nominibus acceptum Curtii referrent, quid proderat tibi expensum illis non tulisse?

Idem: Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant: primum pro expectatione et collybo; deinde pro nescio quo Caeratio.

Idem (in *Act. II*): His nominibus solis Cn. Dolabellae ad Sestertium tricies litem esse aestimatam. (Id est « his titulis et capitibus »).

« Nomina » pro debita pecunia:

Hinc illud proverbiale est apud Columellam: Vel optima nomina non appellando fieri mala foenerator Alphius dixisse fertur; id est: quamvis locupletes habeas debitores, tamen si diu iudicium ipsum non dictaveris usurasque non petieris, mala tandem fieri; vel ipsos tandem tanto aeri alieno non solvendo fieri, sicque inanem ad extremum debiti persecutionem, vel nomina cassa factum iri.

Cicero (pro *Roscio Comoedo*): Pro dii immortales! esse ne quemquam tanta audacia praeditum, qui quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat?

Ibidem: Quod si ille suas proferet tabulas, proferat suas quoque Roscius: erit in illius tabulis hoc nomen; at huius non erit: cur potius illius quam huius crederetur?

Ibidem: Utrum cetera nomina in codicem accepti et expensi digesta habes? An non? Si non, quomodo tabulas conficis? Si etiam: quam ob rem, quum cetera nomina in ordinem referebas, hoc nomen triennio

amplius, quod erat in primis magnum, in adversariis relinquebas?

Cicero (*de Nat. deor.*): Aut tu illum fructu fallas, aut per litteras avertas ali-quod nomen, aut per servum percutias pavidum.

Idem (in *Topicis*): Non, si uxori vir legavit argentum omne, quod suum esset, idcirco quae in nominibus fuerant legata sunt. Multum enim differt, in arca ne positum sit argentum, an in tabulis debeatur.

Addantur et haec iurium testimonia:

Paulus, *de pignoraticia actione* (leg. *Si convenitur*): Ut nomen debitoris mei pignori tibi sit, tuenda est a praetore haec conventio: ut et te in exigenda pecunia, et debitor adversus me, si cum eo experiar, tueatur; ergo si nomen pecuniarium fuerit, exactam pecuniam tecum compensabis.

Ulpianus, *de doli mali exceptione* (leg. *Apud Celsum*): Quod si is, cui pecunia debebatur, cum debitore decidit et nomen eius vendidit Seio, cui debitor mandaverat ut nomen emeret...

Idem, *de rebus eorum, qui tutel.* (leg. *Magis tuta*). Quaerere ergo debet, an pecuniam pupillus habeat, vel in numerario, vel in nominibus.

Scaevola, *de legatis* (leg. *Nomen debitoris*): Titio hoc amplius dari volo centum aureos, quos mihi haereditas C. Seii debet, adversus quos ei actionem mandari volo, eique eorundem pignora dari, quaero utrum haeredes tantum decem dare debeant, an omne debitum; hoc est an et usuras debeant dare? respondi videri universam eius nominis obligationem legatam.

« Nomina idonea ».

Nomina idonea dicebantur, quae legitima obligatione debebantur et facile expediri poterant; id est prima creditoris appellatione.

Papinianus *de administra, et peric.* (leg. *Tutor*): Nomina, quae iuste putant non esse idonea.

Idem, *eod. tit.* (leg. *Tutores*): Nominum paternorum periculum, quae post pubertatem adolescentis idonea fuerant, praestare cogendi non erunt.

Scaevola, *eod. tit.* (leg. *Liberto*): Ex nominibus debitorum elegit idonea nomina.

« Nomina facere ».

Latinis idem fuit quod debitores comparare, vel pecuniam multis dare, quos obligatos habeas:

Cicero (*Off. III*): Hortos emit instructos, nomina facit, negotium conficit.

Idem (*Famil. VIII*): Tantum ex Arpinati veneram, quum mihi a te litterae reditae sunt, ab eodemque accepi Aniani litteras, in quibus hoc inerat liberalissimum, nomina se facturum, quum venisset, quae ego vellem die.

Paulus, *de Pecul.* (leg. *Ex facto*): Plane si ex re pupilli nomina fecit, vel pecuniam in arca deposuit, datur ei vindicatio numerorum.

Scaevola, *de legatis* (leg. *Nomen*): Multos novos debitores ampliarum pecuniarum fecit: quaesitum est, an huic filio eorum nominum, quae ipse fecit, permittenda sit perceptio.

« In nominibus habere; in nominibus esse ».

Cicero (*ad Att. VIII*): Respondit se, quod in nominibus haberet, nescire quo loci esset, alios non solvere, aliorum diem nondum venire.

Idem (*in Verr. VII*): Iste hominem arripi a tribunali et in carcerem coniici iubet: ille clamare, quum raperetur, nihil se miserum fecisse, pecuniam sibi esse in nominibus, numeratam in praesentia non habere; id est, pecuniam sibi debere.

« Nomina conficere » vel « Conficere de nomine ».

Cicero (*Familiar. XVI*): De Aufidiano nomine nihil te hortor, scio tibi curae esse, sed confice.

Idem (*ad Att. V*): Illud tamen non desi-

nam, dum adesse putabo, de Caesaris nomine rogare, ut confectum relinuas.

« Nomina exigere » vel « Appellare de nomine ».

Est debitorem ad dissolutionem cogere.

Cicero (*in Verr. III*): Quum per eos dies ut reperiretur pecunias sumpsisse mutuas, nomina sua exegisse, praedia vendidisse.

Idem (*ad Att. V*): De Attelliano nomine scripsi ad Philotimum, ne appellaret Mesalam.

« Nominum diem cedere ».

Verbum iuris est, significatque incipere deberi pecuniam, etiamsi nondum peti possit. Pro hoc loquendi modo solet dicere Cicero: « Diem venire ». Ita (*ad Att. VIII*): Respondit se quod in nummis haberet nescire quo loci esset, alios non solvere, aliorum diem nondum venire ».

« Nomina expedire [explicare, expungere] ».

Idem est ac nomina solvere; dissolvere quod debetur:

Cicero (*ad Att.*): Nomina mea, per deos, expedi, exsolve.

Idem (*ad Att. XIII*): Si Faberius nomen illud explicat, noli quaerere quanti.

Plautus: « Nunc quod reliquum restat nolo persolvere, ut expungatur nomen, ne quid debeam » (Id est, ut eximar creditorum tabulis). Itaque etiam

« Nomen de tabula tollere ».

Cicero (*pro Sestio*): Subito nominibus in tabulas relatis, nomen suum de tabula sustulit.

Denique « Nomen transferre » pro « versuram facere »:

Cicero (*Fam. V*): Docuerunt enim me periti homines, in his cum omnium peritissimus, C. Camillus, ad Volusium transferri nomen a Valerio non potuisse.

#### FORFEX.

*Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate.*

S. BERNARDUS.

## DE HOROLOGIIS

Argumentum hoc attingentem, non quidem horologiorum historiam me repetere velle quis credat, rationesque signandi temporis ab antiquis populis, ab Aegyptiis ad Hebraeos, a Graecis ad Romanos adhibitae; fines tantum terminosque mihi constitui de metiendis horis artificio machinae rotis confectae, quod nunc in usu est communi.

At vero sive convoluta ex chalybe machina, eaque in pristinam nitente formam, sive ponderibus rotae maximae adhibitae, ut motus cieretur, quis primum usus fuerit, incertum; certum est horologii ex rotis primum artificem delitescere in tenebris; certum est saeculo xv et xvi, idest ante Galilaei aetatem, horologia exstitisse, et Romae fuisse, quorum tutela et custodia, stipendio addito, honoris et auctoritatis causa vel patriciis credebatur, prout illud ex prospectu Aracoelitanae basilicae. Haec ex archivis tum Capitolinis, tum publicis patent, et legisse memini; mirabar autem et frustra quaerebam quo argumento motus ille rotarum temperari posset absque « pendulo », quod a Galilaeo inventum dicunt, considerata lampade nutante semel mota, et arcus describente inaequales semper eodem tempore, ita ut a maximis ad minimos motus semper tempus idem intervallis praeesset. In hisce itaque tenebris dum versamur, non audaciae, sed temeritatis nota eum ducio dignum, qui horologiorum rotis constantium voluerit auctorem indicare; idque eo magis quia tunc temporis, vel ea circum saecula fuere urbes et oppida, quae pretio quovis publica horologia non modo habere voluerunt, sed illa optarunt in aedificiis publicis ita affabre facta, ut simulacris agentibus horas indicarent, meridiem, horasque ceteras adventu imaginum decorarent, taliaque viderentur, quae vel futuris aetatibus admirationis cau-

sa essent. Nec ex hisce urbibus defuere, quae artifices pulcherrimae huius generis machinae oculis orbarent, ne aemulae urbes vel paribus, vel melioribus uterentur; quod quidem tum de Maceratensi horologio, tum de aliis narratur.

Eodem fere tempore, — sed rectius credo xv saeculo, — quum exploratum iamdiu esset eam esse chalybi vim, qua in pristinum rediret modum quaeque ex eo lamina, dextrorsum quamvis, vel sinistrorsum adacta, si libera relinqueretur, cuidam ex Geneva helvetico, ut fertur, in mentem venit nova horologii constructio, quae tum perpendiculo, tum perpetuo illo impetu rotarum careret. Hic enim taeniola exigua chalybis circumvoluta et credita circulo, cuius hastile duos tantummodo, certo angulo praeferret dentes, qui horizontali rota impares numero dentes habente immorderentur, ita effecit, ut quum superior circuli, quem agitaculum dicimus, dens ageretur, mox alter inferior in dentem rotae incurreret, quam ita prohiberet quominus volveretur, cedente interea paullisper taeniola chalybis et mox virtute nativa revertente in contrarium. Quo factum est ut perpetuus isque isochronus, ut vocant, motus haberetur, cui, ne attritu contactuque rotarum consenescent, validior ex chalybe taenia in ultima et praecipua theca virtutem suppeditabat, quum ex angusto cohibita liberare se conabatur. Cetera, quibus designarentur horae, ut in ceteris, indici, et indicibus, seu sagittis, seu cuspidibus tradebantur.

Mediocria primum horologia hoc artificio condita fuerunt, quae tamen in peris vestium abdi possent et circumferri; nec facile narratu est quanta horum cupiditate Europaei primores principesque flagraverint; et maximi emerunt supra quod credibile sit; concedo autem thecas, quibus machinulae claudebantur, non modo ex argento, sed ex auro factas, et summo magisterio caelatas, et adamantibus unionibusque distin-

ctas. At mox exigua fieri coeperunt, eoque ventum est, ut vel in annulis continerentur, iisque machinatio adderetur, quae horas ciceret, sive tintinnabulo interius resonante, sive ave aliqua assurgente quae arcano artificio vocem emitteret iuxta numerum horarum de quo machina rogabatur. Et audivi traditum quod Romanus Princeps De Auria, si memini, regias ingressurus choreas in Anglia, tot aurea in vestimento horologia adamantibus corusca pulcherrimis ferebat, quot habere globulos debuisset, quibus vestes pectori haerent. Singulorum autem nodorum huiusmodi pretium quindecim libellarum inter et viginti millia iudicabatur. Haec abhinc saecula duo, neque horologio thecae ad nicotianum pulverem, aureae et gemmatae carebant, quos dono reges, principesque viri iis dare solebant, quos munere dignos existimarent; neque horologio pectorales virorum aciculae, et mulierum caruerunt. Memini apud amicum quemdam meum me thecam auream tabaci pulveri condendo ferendoque addictam vidisse, quae regna Ludovicorum XIV et XV in Gallia noverat, ita pulcherrime caelatam figuris, foliis, meandris, ita adamantibus versiculorem, ita picturis minusculis neque minus bellis ornata, quas encausto dicunt, et graphice decoratam et affabre, ut ferme rei miraculum videretur; quod autem expectationem vincebat horologium erat inclusum; nam, praeter horarum indices, nodum sub angulo ingeniose occultatum habebat, quem ubi tetigisses, operculum aureum faciei latioris suapte vi aperiebatur, atque inde psittacus hastulae insidens assurgebat, qui, salutans collo et capite circum videntes, cantabat quasi tibia minima (*minuetto* hunc Itali nominabant cantum); eoque absoluto, mox alia assurgebat tota simul avis, coculus, totidem voces illas « cocù, cocù » edens, quotae ab indicibus horae signabantur; quartam quamque singulam horarum partem psittacus, quasi increpitans, indi-

cabat. Isaac Soret, helveticus genere, ut aiunt, egregia super omnes horologia haec portatilia confecit, iuxta horas et sciscitantis lubitum tinnientia, quae ita sunt, ut hactenus duobus et ultra a saeculis absque vitio perdurent. Nostro tempore, aemulatione quadam inter civitates excitata, tum lucro suadente, tum machinis singula horologiorum membra facientibus, quae olim humana manus tantum dolabat, limabat, aptabat, minori pretio venduntur; quamvis nonnulla et sint, quae magno pecuniae pondere venalia prostent, tum optime perfecta machina, tum thecis aureis, gemmatis, caelatiss.

Lectorum horologia hortabor verbis suavissimi epigrammatis illius, quod vetus poetria, Paulina Massimi e Talleacotio, ita claudebat:

Proh! quae tot numeras horas, o machina, praebes,  
Qua miserae liceat sorte iuvante frui!

G. P.

### Selecta ex bibliothecis et archivis

#### Pulvis Nicotianus, vulgo « Tabacco »

*Negligimus priscos mores, pretiumque negamus,  
Atque usum rebus, quae novitate vacant.  
Nulla vetustati per nos reverentia: non est,  
Quem nunc non pudeat non hodierna sequi.  
Vivimus antiquis non cognita gentibus unquam,  
Vivendique aliis saecula plena modis.  
Nunc vestes aliae nobis, aliique Penates,  
Luxus et ingenii nobilioris opus.  
Quae in patinis unquam non fumavere vetustis,  
Nunc plures implent prandia nostra dapes.  
Tangimus, audimus nec non nova plura videmus;  
Sic nova omnis pabula sensus habet.  
Unus, qui solo vix pascebatur odore,  
Nec nova ferebat fercula, nasus erat:  
Traxerat ille suos haec usque in tempore mores  
Antiquae custos sobrietatis adhuc.*

<sup>1</sup> Poëmatium I. F. WILPH. — Cfr. fasc. mense Novembri. MCMXLI.

*Sed nova nunc illi de frondibus esca paratur,  
Quas dudum nobis Indica planta dedit;  
Planta per Italicos nunc omnibus obvia sulcos,  
Iam nostri felix incola facta soli.  
Aestivos amat ista dies, crescitque ferendis  
Apta quidem foliis, fructibus apta nihil;  
Mox sub falce cadit, siccisque in pulveris usum,  
Quas tundit frondes venditor ire iubet.  
Hic est, quem laudant, pulvis celeberrimus ille,  
Sternutatores qui facit esse viros;  
Forsan et aeternos faciet, si vera loquuntur.  
Qui dicunt illis: Sit tibi longa salus!  
Delicias hominum! Sorbillant naribus illam,  
Quam tunsae frondes composuere scobem.  
Sed quid sordidius? Procul hinc, procul ite,  
[puellae,  
Ite, quibus candor munditiesque placet.  
Occurrunt homines, quibus utraque ianua nasi  
Propenso in pluviam stercore saepe madet.  
Scilicet intrusus per bina foramina pulvis,  
Quem fovet ingentium spargit utrimque salem.  
Quae nervos membrana tegit, quaeque induit ossa  
Titillatrici sorbitione tumet.  
Contrahitur stimulata cutis, contractaque parvos,  
Qui lympham claudunt comprimunt illa tubos;  
Pressa lacessitum sic reddunt vasa liquorem,  
Ut solet a duplici spongia stricta manu.  
Semper adest, semperque novos in cuspide nasi  
Ostendit mucos gutta cadentis aquae:  
Tergite mucosus gens tabacophila sordes,  
Heu gens, heu stomacho non bene visa nimis;  
Tergite ne in vestros inter convivia discos,  
Tergite, ne in cyathos pensilis unda cadat.  
Sed non sufficienti operi nec linthea septem,  
Nec si contineat vasta crumena decem:  
Septima post sextam promittit gutta ruinam,  
Guttague post alias altera semper adest.  
Non bis, perpetuum, non ter quae provocat imbre,  
[brem,  
Sed per centenas sumitur esca vias;  
Nec satis impletur unquam satianda libido,  
Prandia plusque acuunt plus repetita famem.  
Voxque, salutanti quae respondetur amico  
Ante alias: Thecam porrige, amice, tuam.  
Vix petitur, iam theca patet, facilemque petitis  
Circumquaque premit gens sitibunda virum.  
Mille ruunt in aperta manus penetralia: felix,  
Felix, ad raptum quae prior esse potest.  
Quis numerat cunctas? Celebri tot noster in albo  
Non equidem vates Alpheisiboeus habet;*

*Sint licet innumeri penitus, quos pixide dignos  
Vimineae, et nostris ruribus ille facit.  
Mille patet digitis mox diripienda supellex,  
Quem rapuisse duos, quem tria liba, iuvat.  
Egregius pulvis: mordet, penetratque subitque;  
O vere eximius! Quis tibi, amice, dedit?  
Laudandus, mox alter ait, gustusque, colorque,  
Et pinguis tactus. Quis tibi, amice, dedit?  
Est levis, estque recens. In conductrice taberna  
Heu non inveniet nostra crumena parem;  
Namque alias miscet frondes conductor, et ipsum  
Quandoque, ut dicunt, miscuit ipse fimum:  
Sic illi ac sociis, lucro subeunte quotannis,  
Arca novennali foenore plena tumet.  
Nec tamen in triviis tantum, sed in aedibus ipsis  
Hic idem sermo, vox eademque sonat.  
Conveniunt illic proceres, equitesque, togatique  
Et magnae matres, praecipuaeque nurus.  
Hic mensae ad ludos; alibi capheatica pixis,  
Apposita est illic altera, theque vocant.  
Lactea nunc vitreas, nunc citrea potio conchas  
Implet in excelsum pyramidata gelu.  
Ille bibit, ludunt alii, diversaque praestat  
Ludicra diversis alea picta modis.  
Ecce triumphalis (dedit hunc Hispania nobis)  
Ludus, et ad parvum quisque trigona sedet.  
Est, qui prae manibus Solem, solisque sororem,  
Quandoque et reges pontificesque tenet;  
Pro numeris alibi ter septem dimicat alter:  
Scinditur inque acies turba quaterna duas.  
Cursitat interea, pingui flavoque reperta  
Pulvere, per cunctas plurima theca manus:  
Porrigitur; libant omnes; dixisse « recuso »  
Moris inhurbani pessima culpa foret.  
Non aevum, non sexus obest: iuvenisque se-  
[nesve  
Se citus ad praedam sexus uterque movet,  
Vel sit quae multos numeret matrona decembres,  
Sitve trilustris adhuc, sitve puella minor,  
Indulgent omnes: communi victus ab usu  
Iam sua faemineus perdidit arma pudor.  
Vosque siletis adhuc? Cur nunc pungentis  
[iambi,  
Castalides divae, non mihi tela datis?  
Ah pereant frondes, plantamque exterminet ipsam  
Sydereusque leo, vel glacialis hyems:  
Noxius heu nimium, nostroque in corpore tanti  
Improbis, ah pereat pulvis origo mali!  
Extenuat, solvit fibrasque acredine multa,  
Ac nervos implet, sanguineasque vias.*



*Emungit madida quidquid praecludere in alvo  
Serosi laticis glandula quaeque solet.  
Improbis ah pereat! — Sed quo, stultissime*  
[vatum,

*Audax quo nimium te tua lingua rapit?  
Vix haec attonitas mihi vox percusserat aures,  
En mea mox oculis obvia Musa meis:  
Meque sequaris, ait; iubeorque secutus euntem  
Post sua Pegaseum terga subire iugum.  
Planities in colle patet: flos multus ubique,  
Plantarumque simul plurima ubique seges.  
En myrti, en virides laurus, en occupat ipsa  
Pimpleas Arbor Nicotiana plagas.*

*Hanc Dryades Faunisque colunt, magnisque*  
[diebus,  
*Igneae ne noceant tempora, saepe rigant.  
Saepe rigant, illosque adhibent pro aspergine*  
[fluctus,

*Quos dulci vates ex Helicone bibunt.  
Inde salutata voto carmine plantam  
Crescere in immensum turba canora iubet:  
Salvete, o frondes telluris gloria nostrae,  
Faustaque sit vobis, sit bona quaeque dies.  
Crescite felices in publica foenora plantae,  
Crescite, nam vester pharmaca succus habet.  
Saepe venenata laesos a cuspidē fama est  
Per vos laethiferam deposuisse luem.  
Spasmate, vel tetano cervix dentesque laborent,  
Dentibus et capite saepe tulistis opem.  
Dicant asthmatici quam sorbillatio vestra  
Prosit, et a vestro plasmate quanta salus;  
Sanguineum vestro cohibetis glutine fluxum,  
Signaque vix remanent hic ubi vulnus erat;  
Ulcera procedant, vos prohibetis iter;  
Officiat capiti scabies, dent ulcera blattas,  
Per vos dat victas morbus uterque manus;  
Vestrum non Indis aperit ventura sacerdos  
Fatidico iunum quin libat ore prius:  
Crescite felices in publica foenora plantae,  
Faustaque sit vobis, sit bona quaeque dies.  
Detinuit me dulce melos, nimiumque suavis  
Me Dryadum cantus detinuisse adhuc;  
Sed mea me secum discedere Musa coegit,  
Meque retrospectens: Progrediamur, ait.*

Musa poetam ducit inter magnificentiam aedium Pindi  
regiarum usque ad pedes Apollinis, quem invenit in  
solio, corona redimitum, cuius lauri folia cum tabaci foenis  
intersita sunt. Ut nostrum ante se habet, severe intuetur,  
deinde tabachiferam urnam exserit, duobus digitis pul-

veras atomos carpit, ad nasi limina sacra trahit, novasque  
laudes nicotiani pulveris quum cecinisset, hospitem gra-  
viter obiurgat ob ea quae contra tabacum edidit, atque  
animis opibusque fractum dimittit. Quum recedit, en vates  
qui omni tempore fuerunt, et undique cum Musis ille  
Apollinem circumstabant, nostrum stipant, interrogant, et  
ita certant tabacum ei erogare thecis, quas quisque habet  
maginibus ornatis heroas et gestas a celebrata effingen-  
tes, ut brevi eius ipsae vestes nicotiano pulvere ubique  
redundent.

## COLLOQUIA LATINA

### Amici adventus<sup>1</sup>

SYLVIUS - GERARDUS

SYLVIUS - Opto tibi multam felicitatem,  
Gerarde.

GERARDUS - Et ego tibi conduplicatum  
opto quicquid optas mihi. At quid causae  
est, quod tam diu nos non inviseris? (Quid  
rei est, quod nos tam raro visis? — Quid ac-  
cidit, quod tanto tempore nos non adieris?  
— Quare tam rarus es saluator? — Quid  
sibi vult, quod nos tam diu non conveneris?  
— Quid obstitit, quo minus visas nos  
frequentius? — Quid impedimento fuit  
quo minus iam diu feceris nobis tui videndi  
copiam?)

SYL. - Volui quidem, sed non licuit  
mihi per negotia. (Hactenus non sine-  
bant negotia, ut te viserem — Non patie-  
bantur undae negotiorum, quibus insolve-  
bar, ut te salutarem — Occupator fui,  
quam ut potuerim — Tam variis dstringe-  
bar curis, ut mihi non fuerit liberum adire  
te — Vix ipsi mihi fuit copia mei; sic me  
totum molesta quaedam negotia posside-  
bant — Negotiis meis imputabis, non  
mihi — Non defuit voluntas, sed vetuit  
necessitas — Non licuit per otium — Ha-  
ctenus non contigit otium).

GER. - Male sit istis curis, quae te nobis  
adimunt (Quid imprecer istis negotiis, quae  
talem amicum nobis invident? — Pessime  
sit isti negotiorum febri, quae nos tam gravi

<sup>1</sup> Ex ERASMO recognovit, deprompsit hodiernaeque  
vitae libere aptavit I. F.

desiderio torsit tui — Male pereat ista fe-  
bris, te quidem incolumi). — Haec vero  
excusatio tua iustior non est, quam ut  
vellem: hac lege mihi purgatus eris, si,  
quod cessatum est, officio sarcias; si supe-  
riorem cessationem crebra visitatione pen-  
ses. (Excipio tuam excusationem, sed hac  
lege, ne saepius utaris).

SYL. - Amicitia nostra firmior est, quam  
ut sit officiis istis vulgaribus alenda. Tu  
autem quid agis rei?

GER. - Confabulor.

SYL. - Quid? Confabulare solus?

GER. - Ut vides.

SYL. - Fortasse tecum. Proinde tibi vi-  
dendum, ut cum homine probo fabuleris.

GER. - Imo cum lepidissimo congerrone  
fabulor.

SYL. - Quo?

GER. - Apuleio.

SYL. - Istud quidem nunquam non facis.  
Tu perpetuo studes. (Tu nihil aliud quam  
studes — Continenter incumbis litteris —  
Indesinenter inhaeres chartis — Studes  
noctes ac dies — Nunquam non studes —  
Assiduus es in studio — Iugiter intentus  
es libris — Nullum facis studii finem, ne-  
que modum — Nullam studii tuis requiem  
intermiscis — Nunquam studendi laborem  
nec intermittis, neque remittis).

GER. - Non est ulla studiorum satietas.

SYL. - Verum, sed est tamen modus  
quidam. Non omittenda quidem sunt studia,  
sed tamen intermittenda nonnunquam (Non  
abiicienda sunt, sed relaxanda). Nihil enim  
suave quod perpetuum: voluptates com-  
mendat rarior usus et amant alterna Ca-  
moenae.

GER. - Non ne fallit tuum scomma. Age,  
tuo more facis: rides me, ut soles (Nunc  
iudis tu quidem me — Salse me rides —  
Satyricum agis — Naso me suspendis adun-  
co — Nunc plane ioco mecum agis — Sum  
tibi risui — Rideor abs te — Pro delecta-  
mento me habes — Nunc me ludos deli-  
ciasque facis).

SYL. - Emoriar, ni loquor ex animo (Di-  
sperear si quid fingo. — Ne vivam si quid  
simulo — Loquor id, quod sentio — Quod  
res est, dico — Serio [ex animo] loquor  
— Non secus sentio, quam loquor). Quid  
interim agitur domi tuae? Elocasti ne fi-  
liam?

GER. - Abhorret a nuptiis filia.

SYL. - Quid ais? Et cur abhorret a ma-  
trimonio?

GER. - Ait se velle Christo nubere.

SYL. - A quo numine hic affectus puellae  
afflatus est?

GER. - Nescio, sed abduci ab hac propo-  
sito nullis rationibus potest.

SYL. - Tibi vero quid est in animo? Mo-  
rem geris eius animo? Monasterio eam  
dicabis? (Sanctimoniam facies [reddes]?  
— In sanctimoniam eam tondebis?).

GER. - Etiam atque etiam explorabo vir-  
ginis constantiam, ne post facti poeniteat,  
quum mutare non erit integrum; at si per-  
tendet, ut coepit, non pugnabo cum illius  
animo, neve, quod nefas esset, a Dei vo-  
luntate discedam (desciscam, dissentiam).

SYL. - Et quid rerum gerit filius tuus  
natu maior?

GER. - Iamdudum maritus est, brevi pa-  
ter futurus.

SYL. - Precor, ut bene vertat omnibus.

## ANNALES

### Universi orbis discrimen.

Quod Europaeum erat, heu! factum est  
universi orbis discrimen: bellum enim ab  
Atlantico oceano ad Pacificum — (o verbo-  
rum irrisio!) — prolatum est, eius indictio-  
ne a Iaponiis facta Civitatibus Foederatis  
Americae Septentrionalis. Animorum con-  
tentio plus minusve iam ab aliquo tempore  
latebat inter Anglorum-Saxonum Iaponio-  
rumque imperium; ex quo scilicet in Si-  
nenses Iaponii pugnare coeperunt, ac dein-

de repetere ut concessionibus aliis nationibus in Sinarum territorio iam pridem factae retractarentur. Quum autem Iaponia tripartitum foedus cum Germania et Italia iniit, in quo, inter alia, Iaponiae ipsi agnoscebatur principatus ferme in extremo Oriente, obtretractatio crevit in dies manifesta appa-ruit clarigationibus, quarum nonnumquam, suo tempore, mentionem in hisce notis fecimus. Praeterea, quum exorto Thailandiam inter atque Indosinarum civitatem bello, Iaponii auctores pacis apud utramque civitatem existerunt, et pactiones ferierunt, quibus aëreas navalesque stationes in septentrionali Indosinarum regione sibi obtinere, magnum praeiudicium allatum Anglis visum est in Singaporem portum, quasi conclusuram a se positum in Pacifico mari, neque non in Australiae suum domini-um; Batavis contra Indias insulas suas, Civitatibus foederatis denique Septentri-onalis Americae in Philippinas insulas a se possessas. Iaponii vero se promptos para-tosque declararunt ad coniecturas per mu-tuam convenientiam et consensum perpur-gandas; quum vero die xxvi mens. Novem-bris superioris anni exterorum negotiorum Nordicae Americae administer Iaponico gu-bernio declarasset condicionem praecipuam, imo necessariam ad bona officia restituenda, ex Iaponiae parte Sinarum finium reco-gnitionem esse, qui ante an. MCMXXXVII existerunt, ac proinde Iaponiis receden-dum esse a locis posthac suo imperio adiunctis, quumque Iaponii frustra excep-tiones posuissent, die x mens. Decembris bellum Civitatibus foederatis Americae Se-ptentrionalis et Angliae, earum sociae, in-dixerunt. Dictum, factum; nam eadem die Hawai insulas caelo, fulminis instar, ag-gressi sunt, quasque naves Americanas An-glasque ibi invenerunt demersere, pessum-dederunt, ac successive Waked insulis, Gil-berth, Ellice potiti sunt, dum copias suas in Philippinas insulas exponunt, earum praeci-puas, Luzon ac Mindanao, suas faciunt

et Manilam caput stricta obsidione cingunt. Neque satis; nam Malacam, Anglicam pe-ninsulam, et Bornei Anglicum territorium occupant, munitissimum Hongkong oppi-dum expugnant, ulterius in dies victores procedentes.

Tamquam Iaponiorum socii Itali, Ger-mani ceterique populi, «axi», qui vulgo nunc appellatur, adhaerentes, et sese in bello cum Civitatibus foederatis Americae Septentrionalis esse declarant. His, ex ad-verso, per sponsonem Washingtonii factam, praeter Angliam et Russiam, et Sinarum populum Shang-kai-Shek partem sequen-tem, accedunt Australia, India, Nova Ze-landia, Africa ad meridiem posita, atque procuratores Belgicae, Bataviae, Graeciae, Iugoslaviae, Norvegiae, Poloniae, Cecoslo-vachiae, Luxemburgi; inferioris denique Americae civitatum Costaricae, Cubae, S. Dominici, S. Salvatoris, Guatemalae, Haitianae, Nicaraguensis et Panamensis supremi moderatores.

Ita ad universum orbem belli incendium prope manavit. Quod si quis tanti flagitii causas et efficientes rationes penitus inquirere velit, facile ipsi persuasum erit altius quam inter homines eas repetendas esse, imo vero inter homines ac divinas conser-vandae societatis leges, evangelicasque normas in civilis ordinis tutelam datas, quas Romanae Ecclesiae supremum cari-tatis et iustitiae Magisterium pluries revo-cavit, ad hodiernos usque dies; nempe in pervigilio diei natalis Christi, per radiopho-nicum nuntium a Christi in terris Vicario ad omnes terrae gentes missum. Qui, quum posuisset rerum ordinis fundamentum in praeceptis de moribus constituendum esse, ita concludens monuit:

I. - In novo rerum ordine, cuius praeci-pua de moribus caput constituent, locus esse nequit laesioni cuiuslibet libertatis, integritatis ac salutis nationum, quaevis sit earum amplitudo, vel sese defendendi fa-cultas. Si vetari non potest quominus ma-

iores nationes, pro maioribus facultatibus suaque potentia, viam componant ad oeco-nomicos globos inter se minoresque debi-lio-resque nationes efformandos, haud ta-men dubium est, quin ius hisce sit in ra-tionibus civilibus suis libertatem sartam tectam tuendi, et in nationum contentio-nibus neutrius illud partis studium efficien-ter servandi, quod ex iure naturae ac gentium iis provenit, pariterque suae rei oeconomicae incrementa tutandi: ita tantum enim commune bonum, ac tum animi tum corporis salutem populi sui assequutur erunt.

II. - In novo rerum ordine, cuius praeci-pua de moribus caput constituent, locus esse nequit apertae aut subdolae oppres-sioni peculiarium, tum cultus tum sermo-nis, notarum apud cives numero inferio-res, itemque impedimentis atque contra-ctionibus eorum oeconomicis facultatibus, circumscriptioni aut dissolutioni eorum na-turalis foecunditatis. Quo sanctius rei pu-blicae moderatores iura civium numero in-feriorum observaturi erunt, eo securius et efficacius fidelem officiorum cum civibus ceteris communium expletionem ab iis exi-gere poterunt.

III. - In novo rerum ordine, cuius praeci-pua de moribus caput constituent, locus esse nequit contractis illis rationibus eo-rum, qui una sui cupiditate ducti, oeco-nomicae rei fontes et materias, quae commu-nis usus sunt, ad se rapere contendunt, ita ut nationes, quibus minus natura favit, ab iis submoveantur. Qua in re maximo — addidit Pontifex — Nobis solacio est in dies confirmatam videre necessitatem ut homi-nes omnes terrae bonis participent, vel apud nationes illas, quae in huius partici-pationis usu et exercitatione viderentur earum partium esse «quae dant», non quidem «quae recipiunt». Sed aequitati conforme est huiusmodi quaestionibus solu-tionem, in oeconomica re universi orbis magni quidem discriminis, certa ratione ac

via, sensim, necessariisque cautionibus fa-ctum iri, ex superioris temporis mendis omissionibusque documentis detractis. Nisi in futura pace argumentum hoc imprimis subeat, in populorum commercio profunda amplaque radix manebit acerbas invidias exasperatasque obtretractationes germinans, novarum conflictationum causam. Animad-vertendum vero est iustam huiusmodi quaestionis solutionem cum alia novi ordi-nis primaria lege necessario connecti de-bere, de qua modo dicemus.

IV. - In novo rerum ordine cuius praeci-pua de moribus caput constituent, — praecipuis armatorum conflictationum causis remotis — locus esse non potest universis bellis, neque bellicis apparatibus immodice ac certatim comparatis. Praepediendum omnino est ne universi orbis belli calamitas cum suis oeconomicis atque humanae socie-tatis ruinis, cum suis delirationibus regula-rumque de moribus perturbationibus tertio in humanum genus redundatura sit. Quod ut ab hoc flagello longe arceatur, necesse est ad armorum praescriptionem per gradus procedentem severe et honeste, merito pro-videatur. Inaequalitas inter exaggeratam potentium nationum atque deficientem debilitatem armorum comparationem periculum instituit de populorum tranquillitate deque pace servanda, amplumque congruentem-que limitem tum in fabricandis tum in pos-sidendis infestis armis suadet.

Circa autem modum quo ab armis disces-sus fiat, media idonea instituenda sunt, omnibus honorabilia item atque valida, ut normae: «pacta sunt servanda» officium vitale quidem et honestum, quod ei in iuri-dica nationum necessitudine spectat, resti-tuatur. Haec norma, quae superiore tem-pore discriminibus sollicitudinum plenis violationibusque non dubiis obnoxia fuit, contra se apud populos eorumque modera-tores immedicabilem prope diffidentiam in-venit. Ad mutuam fidem renovandam insti-tuta creanda sunt, quae, omnium reveren-

tiam sibi conciliantia, nobilissimo se dedant officio tum promissis sinceram fidem praestandi, tum emendationes retractationesque opportunas promovendi, iuxta iuris et aequi principia. Haud quidem Nos fugit — prosequitur Pater amantissimus — superandarum difficultatum cumulus, bonaeque voluntatis vires pene humanis maiores ab omnibus partibus requisitas, ut ad duplex opus hic adumbratum feliciter perficiendum simul conveniant. Labor vero hic communis tam est cum rei natura, diuturnae nempe pacis, coniunctus, ut nihil populorum duces detinere debeat, quominus eum sibi suscipiant atque ex sua cuiusque parte bonae voluntatis conatibus efficiant, ut futura bona prospicientes, acerbam recordationem rerum adhuc infeliciter tentatarum devincant, neve mole maximarum virium, quae ad rem requiruntur, terreri patiantur.

V. - In novo rerum ordine, cuius praecepta de moribus caput constituent, locus non est religionis et Ecclesiae insectationi. Ex fide summa in Deo personali transcendenti pura atque firma morum vis manat, vitae cursum integrum informans; quandoquidem fides non solum virtus est, sed ianua divina, per quam templum animae omnes virtutes ineunt, atque hominis natura valida, tenax, in alea rationis et iustitiae constituitur. Id semper valet, at eo magis splendere debet, quum a rerum publicarum principibus ad civium infimum animi fortitudo maxima maximaque officiorum virtus requiratur ad novam Europam novamque rerum universitatem super ruinis excitandam, quas omnium gentium contentio per vim suam, per animorum odium discordiamque coacervavit. Quod autem peculiariter ad socialem quaestionem attinet, quae transacto bello acrior obiicietur, Decessores Nostri ipsique Nos solutionis normas constituimus; quas tamen considerandum est integras tantum adhiberi posse, omnemque frugem laturas si rerum publicarum re-

tores et populos, operarum conductores et opifices erigat fides in Deo personali, legislatore ac vindice, cui actionum suarum rationem reddere quisque debet. Dum enim impietas in Deum, universorum instructorem, infestissima hostis est novi ordinis in iustitia positi, quisque ex adverso homo Deo subnixus et fidens potens ipsius est auctor et propugnator. Qui Christo fidit, eius divinitati, eius legi, eius operae charitatis fraternaeque inter homines necessitudinis, is elementa pretiosa potissimum ad socialem restitutionem afferet; tanto magis afferent civitatum rectores, si se promptos paratosque exhibitori sint ad ianuas late aperiendas viamque Christi Ecclesiae expediendam, ut libera absque impedimentis, vires praeter naturam suas praestans populorum concordiae atque paci, flagranti studio et charitate sua immani sanandarum belli vulnerum labori operam conferre possit.

POPPLICOLA.

### LIBRI DONO ACCEPTI

FERDINANDUS DE PAOLA, *Philosophia tarsensis in Senecae scriptis* (Florentiae, Leone S. Olshki editore, ven. lib. 10).

I. B. BELLISSIMA, *Vita Napoleonis Rutiliani Barnabitaie* (Exc. ex ephemeride, cui « Eco dei Barnabiti » inscripto).

IOSEPHI FAVARO, *Carmina in Leonardum Vincium* (Mutini apud auctorem).

VITO COSTA, *Il congiuntivo greco particolarmente in Omero* (Edit. typ. Sandron. Panormi, Mediolani; ven. lib. 8).

IOSEPHUS WAGNER, *Commentarii de 25 annis Iuventutis et de neo latino qui dicitur motu* (Edit. Stephaneum, Budapestini).


### IMPRIMATUR:

† Fr. A. C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreon.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS


# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE

TENET

G. DEL VECCHIO.



EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

Ingr. 14391 il 24-2-1962